

1317 tam pie Dandulus tunc egisse videri potest, quam Clemens duriter, ne superbe dicam: quem, si hominis libero loco nati, a clarissimoque Italiæ populo, ac eodem Christianissimo, ad publicam ignominiam deprecandam missi, in speciem canis ad pedes prostrati, miserabilis tam diu non movit aspectus, exemplum saltem nostri Regis, cujus ipse vicarium tunc nomen gerebat, movere debuit, qui ne flagitiosissimo quidem latroni veniam denegavit. An verendum erat, ne ad eam diem non fatis pœnarum Veneti dedissent, quod ob arcem propinquæ urbis expugnatam (ad quod facinus magis fortassis jura gentium, quia Friscus ille focius erat, quam pollicitationes ullæ, aut ulla prædæ cupiditas traxisset) preciosissimis eorum mercibus in cunctis Europæ emporiis hostiliter direptis, magno auri pondere amisso, multi (quod atrocius est) Veneti nominis gravi ad eam diem servitio pressi essent, obruncatique etiam aliqui? Explevit ille ignominioso hominis statu iram suam: sed expleverit, dum ipsa posteritas magis probet hujus patientiam, quam illius severitatem. Duriter, ut dixi, egit ille, quia potuit: hic vero pie, quia voluit. Probabunt illius factum fortasse aliqui, sed non adeo multi: hujus vero pietatem omnes non solum probant, sed mirantur etiam. Nec fuit ingrata civitas, sed aperte ostendit, nihil in suis civibus magis probare, quam animi mansuetudinem. Haud quidem diu in referenda gratia cessatum, sed data sedulo opera, ut non multo post ille, qui tam ignominioso statu pro patria nuper conspectus est, cultus summi honoris insignibus conspiceretur. Victa Clementis ira, cœpit ipse vere Clemens videri; nam præterquam quod Venetum nomen interdicto levavit, mandasse etiam dicitur, ne hoc aliove nomine Veneti postea a Romano Pontifice tam lethifero spiculo peterentur: quod quidem rescripto etiam, ut quidam tradunt, constare voluit.

Sub id tempus triremes quatuordecim in altum educatæ, quibus Justinianus Justiniani cognominis est præfectus. Huic datum est negotium, ut undecim Genuensium trire-